Hiis temporibus Dani Galliam vastaverunt annis 14. interim Lodovicus moritur, et de successione regni questio oritur. quibusdam dicentibus quia filius ex concubina deberetur. quibusdam quia regno Germanie sociari deberetur, asserentibus. Remanserat autem uxor eius gravida, et peperit filium qui vocatus est Karolus, filii tamen ex concubina Lodovicus et Karlomagnus regnum francorum inter se dividunt et regnat annis .V.

T f. 92. CCXIIIcap^m de imperio Karoli iunioris, et sibi contemporaneis cuius prima pars ~~dicit~~ de ungaris

Karolus iunior frater Lodovici balbi, a iohanne papa benedictus postea imperavit. Hoc tempore gens Ungarorum a Scithia egressa in Pannoniam primitus venit. et eiectis inde auraibus (Avaribus) usque hodie ibi manent. Hec gens inculta nimis, crudis carnibus vescebatur, et sanguinem potabat humanum. ¶ Karolus vero animo et corpore deficiens ab optimatibus regni repudiatur. et Arnulfus filius Karlomani regni fratruelis eius, in regnum sublimatur.

4^a pars de translatione sancti tarasii in Venetias.

Hoc tempore super Grecos imperabat Basilius. Venetorum autem dux erat otho. et tunc quidam mercatores Veneti ad promontorium quoddam (f. 92^b) pervenerunt cui nomen Silendro. et dum moram ibi contraherent quidam sacerdos Methamaucensis ecclesie cum duobus sociis Petro et Iohanne et ad ecclesiam quam prope sitam ~~[illegible]~~ audierat orationis gratia profectus est. et cum illuc appropinquasset monasterium carnunt. sed in eo neminem monachorum reperiunt. Cumque sacerdos ecclesiam intrare vellet, inspirante intelligit sibi dici. tolle hoc corpus sanctum et defer tecum. Cum autem corpus ibi esse ignoraret ut pote qui nunquam affuerat, super ecclesie pavimentum se stravit. et lacrimabiliter divinam precabatur clementiam ut si divina fuit commonitio sibi plenius reseretur. Surgit autem post orationem et ei suggerebatur ut tolleret corpus sanctum. cepit ergo per ecclesiam circumquaque respicere. et tandem ad altare accedens videt super ibi ymaginem. cuius superscriptio hec erat. AΓ·YOC. TAPACYC. i. sanctus tarysis. videtque in pariete pannum affixum. quo elevato per fenestram intra speluncam quandam aspexit. ibi est sanctum iacebat corpus serico panno velatum, insuper lampadibus ardentibus ante eum. Casu autem quodam sacerdos in manu lesus erat. eamque ad collum pendentem tenebat. ut ergo fenestre eam apposuit, continuo sanitatem recepit. Letus igitur et animosior factus, securius manum imponit, ut probaret si corpus movere posset. Cum igitur sinistram eius manum apprehendisset, tanta corpus agilitate sublevatum est, ut vivens videretur ipse consurgere. ac dicere tolle me quia tecum venire presto sum. sublevatum quod corpus ad navem que 3 milibus aberat celeriter portat. Non multo post secuntur monachi cum lacrimis eiulantes atque clamantes Reddite nobis patrem nostrum o crudeles homines, hinc exire non poteritis nisi reddatis. En alia vice quidam vestre nationis unum ipsius dentem furati sunt. et donec redderent. nequaquam exire potuerunt. Veneti autem se ad iter parant. eorumque verba contempnunt. Et cum alie naves procellarum violentia iactarentur, illa in qua pretiosus erat thesaurus. quasi anserea natare super undas maris videbatur. Cum reverentia igitur multa deducitur et devotione incomparabili ab episcopo et clero ac populo Venet. suscipitur. potissime a sanctimonialibus sancti Zacharie. Ubi tunc CC. ancillarum est collegium manebat. Ibique sacrum corpus depositum est. Fatetur autem incunctanter tam ex loco quam ex habitu quod heremiticam duxerat vitam